

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 75. (Neovidensis 1807. Nro. 74.)

Politicum mortuorum Colloquium.

Elysium-Meum.—Die Veneris 25. Septemb. (Neovid. 11 Sept. 1807.)

— — Neque semper arcum
Tendit Apollo.

Horat.

Thomas Hobbes. — Nicolaus Boileau.

Habbes. — Demum id quoque observavi, quod omnes, qui modo huc adveniunt, multas scientias tantum a limine salutaverint; multum loquuntur, et tamen nullus eorum eruditi nomine insigniri potest — fortasse nonnulli Poetae, prout tu fuisti.

Boileau. — Te tempus, Regiminis forma, mores illius aetatis celebrem reddidere. Hoc tempore nullam excites attentionem. Nam minimae considerationis erudito plus inest nunc Philosophicae libertatis, quam tibi. — Quod vero Poetas concernit, sum sententiae tuae contrarius. Classici enim Poetae pauci dantur,

Hobbes. — Ego in genere hodierno superiore Mundo minime sum contentus; Historia enim Fabulis Romanae involvitur; Eloquencia omnem modum excedit, et Poesis occupatur in Madrigalibus Enomen Carminis) et Epigrammatibus; nulla magna, nulla sublimis res cerni potest. —

Boileau. — Ego aliter rem considero; non habet fortassis hodiernus superior mundus à scriptis celebres viros, sed possidet viros factis clarissimos, et hæc præcellentia multo prævalet priori.

Hobbes. — Nunc agnosco, et video, animo tuo inscriptam esse hanc sententiam: Difficile est, Satyram etc.

Boileau. — Descriptio status Gallici Imperii die 24. Augusti per interioris status Ministrum corpori Legislativo facta, est magis classica, plenior celebribus factis, et utilior, quam tuæ Philosophicæ speculationes, et mea carmina. Exordium hujus descriptionis complectitur generalem Ideam Galliæ intra spatium 15. mensium, ab eo nimirum momento, quo Legati partium Imperii ad suos redierant. Hoc tempore Cæsar eam visus est attingisse epocham, ut fructum gloriose exantlatorum laborum suorum capere possit; Principes Germaniæ maxima ex parte erant Galliæ foederati; Borussia Cæsaris amicis adnumerabatur: dissensiones Galliam inter & Russiam exortæ, per subscriptionem pacis sublatae sunt; quies tam extra, quam intra limites Imperii firmis visa est insistere fundamentis; copiosæ Deputationes ex omnibus Imperii partibus advenere, Cæsari gratum Populi animum demonstraturi, exercitus redditum in principem Imperii urbem parabat, ut solennitatis, in memoriam victoriarum rellatarum constitutæ particeps esse possit; Cæsari maxime iterum cordi fuit, interna Impe-

rii administratio, dum ecce Anglia, quæ securitatem suam in periculo aliarum nationum quærere consuevit, voti sui damnata est, pax cum Russis confecta, rati habita non est. Borussia rursus in statum inquietum posita; mox hostili clamore sublato, bellum præter opinionem Ministri, & fortassis etiam Regis declaratum fuit; infelix exemplum debilitatis. Verum Cæsar præsentiam mentis retinuit, tam strenue vigilavit, ut ne umbra quidem alicujus perturbationis adpareret. Res inchoatæ, ad internum Imperii statum meliorem reddendum, pertinentes in cursu suo minime turbatæ. Executio Legis quoad Tirones militares majorem efficaciam habuit, quam antea. Tributum ad amussim pendebatur; Nationalis Cohortis Prætorix æmulatio fuit ingens; maxime vero se distinxere Præfecti, ideo Sua Majestas Magistratum hunc, per quem executio Legum, & Potestatis in Populo sit, singulari affectu dignata est. Legata & dona Hospitalibus facta, jam Anno 1806. effecerunt Capitale 2 Mill. et 300000 Frank, cui Cæsar addidit 15 Mill. 600000 Frank, nunc redditus singulis annis efficit 768000 Frank. Tam Parisiis, quam & in aliis Imperiis urbibus domus Fiduciarix erectæ sunt. Ad sufferendam in viis publicis mendicationem erigentur Instituta; Abbatia Villerscotterets pro principe Imperii urbe destinata, Abbatia Fontevrault, Moniales S. Ursulæ in Montpessulano pluribus partibus Imperii deservient. In his locis non secus ac in carceribus manus labori admovebuntur, mores

corrigentur. Spatium viarum 13400 horas efficiens in diversis Imperii locis emendatum est; utraque via publica per montem Cenis, & Simplon strata, finem sortita est; 18 Fluvii navigationi apti redditi. 4 pontes erecti, & aliis 10 erigendis manus jam admotæ sunt. Exstructio 10 Canaliū continuatur. Canalis Ourqcanal (qui urbi Parisinæ recentem aquam subministrat) ad $\frac{3}{4}$ est paratus; Canalis S. Quentin, qui urbem Parisinam cum Belgio & Hollandia unit, intra spatium 18 mensium finem sortietur. Canalis Napoleonis, qui pro scopo habet communicationem Oceani Septentrionalis cum mari Mediterraneo, initium sumpsit. Antverpiæ ostentant naves bellicas cum 74; & 80 tormentis; 14. sunt actu in abore, Flissinga integram Classem recipere potest; Portus Düakirchen, Calais, Cherbourg, Rochefort, Marseille in optimum itatum positi.

Agriculturæ quoque magna semper ratio habita. Nationalia ovilia in optimo flore sunt; Opiliones in arte educandarum ovium instituntur, equitia restituta. 12 receptacula pro equis admissariis sunt erecta.

Pro Commercio novus codex legum paratur, cujus scopus est, ut honestas conservetur, fallacia omnis tollatur. Ars gossypium nendi e tenebris, quibus 20 mensibus involuta fuit, in lucem prodit, cui Decretum de 22. Februarii magnos animos addit, Fabricæ nostræ producunt materias, quas olim, dum vidimus, desideravimus. Imperatoris voluntas est, ut Metropolis Galliæ, quæ nunc Metropolis

orbis facta est fini suo respondeat. In uno fine hujus Urbis Pons Austerlitz dictus ad perfectum statum deductus est, in alio vero fine Pons Jena jam initium sumpsit. Status magni exercitus in foro Vendome eminent; Palatium Legislativum ornabitur aërio, cujus splendor & Majestas Sanctitatem Legum spirabit.

E regione hujus Templum Victoriæ ædificabitur. In medio prominabit Palatium Principum: Aequitatem inter et gloriam stat Tronus. Complures Ecclesiæ Cathedrales & Palatia Episcopalia sunt restaurata. Monumentum Desaixii in apice Alpium, ex parte una Galliam, et altera Italiam respicit, quod eidem ab amico, et armorum socio pro memoria positum est, dum in sinu Victoriæ moreretur. Academia Gallica in id incumbit, ut omnia memorabilia facta, quæ sub hoc regimine acciderunt, marmori incidat.

G e r m a n i a.

Stutgardia 10 Septemb Nudius tertius transiit hac Parisios Legatus Persicus Jussuf Bey, quem Gallicus Interpres comitabatur. Sua Majestas Regia Principi a Neuschatel, Regni Mareschallo Berthier, Principi Beneventano, Mareschallo Bessieres, et Mareschallo Palatii Düroc magnum ordinem Regium aureæ Aquilæ contulit.

Secundum rumores pars militiæ Bavariæ sub Generali Derony, quæ ex Silesia in Bavariam redibat, circa finem prioris mensis

corrigentur. Spatium viarum 13400 horas efficiens in diversis Imperii locis emendatum est; utraque via publica per montem Cenis, & Simplon strata, finem sortita est; 18 Fluvii navigationi apti redditi. 4 pontes erecti, & alii 10 erigendis manus jam admotæ sunt. Exstructio 10 Canaliū continuatur. Canalis Ourqœnal (qui urbi Parisinæ recentem aquam subministrat) ad $\frac{3}{4}$ est paratus; Canalis S. Quentin, qui urbem Parisinam cum Belgio & Hollandia unit, intra spatium 18 mensium finem sortietur. Canalis Napoleonis, qui pro scopo habet communicationem Oceani Septentrionalis cum mari Mediterraneo, initium sumsit. Antverpiæ ostendant naves bellicas cum 74; & 80 tormentis; 14. sunt actu in abore, Flissinga integram Classem recipere potest; Portus Dünkirchen, Calais, Cherbourg, Rochefort, Marseille in optimum statum positi.

Agriculturæ quoque magna semper ratio habita. Nationalia ovilia in optimo flore sunt; Opiliones in arte educandarum ovium instituuntur, equitia restituta. 12 receptacula pro equis admissariis sunt erecta.

Pro Commercio novus codex legum paratur, cujus scopus est, ut honestas conservetur, fallacia omnis tollatur. Ars gossypium nendi e tenebris, quibus 20 mensibus involuta fuit, in lucem prodit, cui Decretum de 22. Februarii magnos animos addit, Fabricæ nostræ producunt materias, quas olim, dum vidimus, desideravimus. Imperatoris voluntas est, ut Metropolis Galliæ, quæ nunc Metropolis

orbis facta est fini suo respondeat. In uno fine hujus Urbis Pons Austerlitz dictus ad perfectum statum deductus est, in alio vero fine Pons Jena jam initium sumpsit. Status magni exercitus in foro Vendome eminent; Palatium Legislativum ornabitur aërio, cujus splendor & Majestas Sanctitatem Legum spirabit.

E regione hujus Templum Victoriæ ædificabitur. In medio prominabit Palatium Principum: Aequitatem inter et gloriam stat Tronus. Complures Ecclesiæ Cathedrales & Palatia Episcopalia sunt restaurata. Monumentum Desaixii in apice Alpium, ex parte una Galliam, et altera Italiam respicit, quod eidem ab amico, et armorum socio pro memoria positum est, dum in sinu Victoriæ moreretur. Academia Gallica in id incumbit, ut omnia memorabilia facta, quæ sub hoc regimine acciderunt, marmori incidat.

G e r m a n i a.

Stuttgartia 10 Septemb Nudius tertius transiit hac Parisios Legatus Persicus Jussuf Bey, quem Gallicus Interpretes comitabatur. Sua Majestas Regia Principi a Neuschatel, Regni Mareschallo Berthier, Principi Beneventano, Mareschallo Bessieres, et Mareschallo Palatii Düroc magnum ordinem Regium aureæ Aquilæ contulit.

Secundum rumores pars militiæ Bavariæ sub Generali Derony, quæ ex Silesia in Bavariam redibat, circa finem prioris mensis

mandatum accepit, ut rediret, atque in Germaniam Septentrionalem properaret, ita, ut 11. hujus Berolini sit.

11. Augusti celebratæ sunt nuptiæ Principis Augustæ Eleonoræ Hohenlohe-Kirchberg cum Comite Friderico Burkhard Rudolph a Recteren et Limpurg.

Moguntia 10. Septemb. Hujus loci Ephemerides eam officiosam relationem continent, Vigore cujus Siliginis, et Hordei eVectio ab hodierna die conceditur. Triticum vero evehere prohibetur.

Monachii die 7. Septemb. Sua Serenitas Regia Coronæ Princeps hodie 12. hora Nymphenburgum adventit, postquam 20 menses abfuisset. Sua Majestas Rex ei in via occurrit. Domi ab omnibus magno cum gaudio exceptus.

B I O G R A P H I A.

Hobbes (Thomas) Hobbesius, et Hobbius quoque dictus magni nominis Anglicus Philosophus, natus Malmesburi die 5. Aprilis 1588, Studiis suis Oxoniæ terminatis, Educatorum Comitis Vilhelmi a Devonshire egit. Cum hoc peragravit Galliam, et Italiam, omnique cum industria se se Literis impendit. Thucydidem in Lingvam Anglicam vetit, versio hæc Anno 1628 luce publica donata est, ut Populares sui in Historia Atheniensium confusiones regiminis Democratici videre possint. Hobbes plures in Galliam peregrinatio-

nes instituit. Ubi ille Mersennii, Gassendii, aliorumque magnorum virorum amicitia familiaritateque usus est, cum quibus ille frequentes sermones de rebus Philosophicis miscuit. Ibidem scripsit suum Tr. de Cive, opus hoc propter periculosa Principia magnis clamoribus occasionem dedit, eo, quod contra sanam regendi artem, et contra Religionem agerent. Hobbes hoc in opere omnes homines levitatis arguit, juxta judicium Cartesii, aut saltem occasionem praebet excercendae levitatis, regimini Monarchico tantam potestatem tribuit, ut ea legitimos limites excedat. Post haec Principem Vallis, qui se in Galliam recipere debuit, in Mathesi instituit, omne tempus, quod ei supererat, operi suo Leviathan dicto, impendit. Hoc opere adeo omnium animos a se abalienavit, ut in Angliam redire cogeretur. Hic apud Comitem a Devonshire morabatur, et tempus studendo, librosque scribendo transegit.

Carolus II. regno restitutus, eo affectu fuit erga ipsum, ut ei pensionem annuam daret. Hobbes vivere desiit Hardviccii apud Comitem Devonshire die 2. Decemb. 1679. Si auctori vitae ejus fides habenda est, Hobbes fuit Patriae suae amans, Regi fidelis, amicus sincerus, spectra et malos Daemones timuisse dicitur. Multa scripsit de arte Politica, Geometria, Philosophia, aliisque scientiis. Libri illius, qui inscribitur de Cive, optima editio est Amsterlodamensi, quae 1647 prodiit. Scribere hunc in Gallicam linguam

transtulit, et Amstelodami 1649 imprimendum curavit. Illius Leviathan primam lucem conspexit Amstelodami 1668. Reliqua ipsius opera Philosophica ibidem prodire 1668.

Boileau (Nicolaus) Clarus Gallicus Poeta, natus Parisiis die 1. Novemb. 1636. Scripsit Satyras, quibus gustum sui aevi ob oculos ponit, erga vitia, et corruptos sui aevi mores fuit austerus. Satyris suis multos inimicos sibi comparavit; quibus imprimis in sequiorem sexum invehebatur, mortuus est 2. Martii 1711. Brugerus in suo sermone ad Academiam Gallicam habito ait, ubi de Boileau loquitur, ab eo Juvenalem superari, Horatio proximum esse etc. Verum fama ejus non tam arctis limitibus circumscripta fuit, ut ea intra limites solum Patriae suae concluderetur; non minor laus ei ab aliis quoque Nationibus tribuitur. Maximum testimonium de meritis Boilliau praebent Baro Spannheim, Lord Schäftesbury, et Dr. Varton.
